The Digital *Liber exceptionum* Project (https://exceptiones-project.wlu.ca)

Augustinus de magistro (fol.3va)

1. Non opus est loquutione. cum oramus id est sonantibus uerbis.

   Quare non opus est locutione, cum oramus, id est sonantibus uerbis, nisi forte, sicut sacerdotes faciunt, significandae mentis suae causa, non ut deus, sed ut homines audiant et consensione quadam per commemorationem suspendantur in deum; an tu alius existimas?

   Augustinus Hipponensis, *De magistro*, 1.2 (CCSL 29, K.-D. Daur ed., p.159, ll.56-61).

2. De uniuersis que intelligimus. non loquentem qui personat foris. sed intus ipsi menti presidentem consulimus ueritatem.

   De uniuersis autem, quae intellegimus, non loquentem, qui personat foris, sed intus ipsi menti praesidentem consulimus ueritatem, uerbis fortasse ut consulamus admoniti.

   Augustinus Hipponensis, *De magistro*, 11.38 (CCSL 29, K.-D. Daur ed., pp.195-6, ll.44-46).

3. Falluntur homines. ut eos qui non sunt. magistros uocent. quia plerumque inter tempus loquutionis. et tempus cognitionis nulla mora interponitur. et quoniam post admonitionem sermocinantis cito intus discunt foris se ab eo qui admonuit. didicisse arbitrantur.

   Falluntur autem homines, ut eos qui non sunt magistros uocent, quia plerumque inter tempus locutionis et tempus cognitionis nulla mora interponitur, et quoniam post admonitionem sermocinantis cito intus discunt, foris se ab eo, qui admonuit, didicisse arbitrantur.

   Augustinus Hipponensis, *De magistro*, 14.45 (CCSL 29, K.-D. Daur ed., p.202, ll.12-16).

4. Per homines signis admonemur foris. ut ad eum intro conuersi erudiamur. quem diligere. cc nosse beata uita est. quam se omnes clamant querere. pauci autem sunt qui eam uere inuenisse letentur.

   Quid sit autem in caelis, docebit ipse, a quo etiam per homines signis admonemur foris, ut ad eum intro conuersi erudiamur, quem diligere ac nosse beata uita est, quam se omnes clamant quaerere, pauci autem sunt, qui eam uere se inuenisse laetentur.

   Augustinus Hipponensis, *De magistro*, 14.46 (CCSL 29, K.-D. Daur ed., pp.202-3, ll.23-27).